



DISPUTATIO
DE TUTELA ET CURA.

Quam
Deo clementer annuente

1613, 70

Sub præsidio
CLARISSIMI CONSUL-
TISSIMIQUE VIRI Dn. JUSTI
MEIERI J. U. D. ET IN ACADEMIA
Argentiniensi Professoris Pandectarum ce-
leberrimi, præceptoris & promotoris sui
summo observantiæ cultu
prosequendi:

Publicè exercitiij gratiâ

Ventilandam atque examinandam
proponit:

JOHANNES-PHILIPPUS MENDELIUS
dictus Jordan Hombergensis cis Montana
Vvedderavus.

Mense Martio

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS CAROLI,

M. DC. XIII.



CLARISSIMIS CONSULTISSI-
MIS, DOCTISSIMIS QVE VIRIS:

Dn. MARCO FLORO professori in Argentinensium Academia celeberrimo.

Dn. JOACHIMO CLUTEN historiarum professori ibidem designato.

Itemq̄s:

NOBILISSIMIS, PRAESTANTISSIMIS
*omnisq̄ generis virtutum laude florentissimis
viris - juvenibus.*

Dn. Johanni Suicardo à Cronberg } Fratribus
Dn. Johanni Philippo à Cronberg } Germanis.

Dn. Philippo Streuff à Lawenstein

Dn. Dominico Porssio J. U. } Fratribus itidem
Candidato dignissimo } Germanis.
Dn. Jacobo Porssio }
Dn. Johanni Porssio }

*Dominus Meccenatibus, patronis, promotoribus, fautoribus &
amicis meis plurimum suspiciendis, hancce dissertationem
legalem in debita observantia, gratiq̄ animi symbolum:*

Inscribo & offero

JOHANNES PHILIPPUS MENDELIUS
dictus Jordan. Respondens.



DISPUTATIO

DE

TUTELA ET CURA.

PRAEFATIO.



Uanta sit propositæ materiæ necessitas, & quanta rebus humanis adferat commoda: quotidiana experientia & fori consuetudo crebris declarat exemplis: & ratio manifesta ostendit. Atque ut omitantur alia multa, quæ ejus materiæ necessitatem & utilitatem evincunt; quis est, qui nesciat ætatem illam imbecillam, imperitam, multis captionibus suppositam, multorumq; infidiis expositâ esse? *ut loquitur Vlp. in l. 1. in princ. ff. d. minor. 25. ann. & ad omnis generis vitia pronam ferri atq; proclivem: teste Nobilissimo celeberrimoq; IC. Dn. D. Georgio Obrecht, P. M. in disput. de patrocinio pupill. th. 2. hæc ipsa v. si voluptatum illecebris inescata, & in vitiorum volutabris deformata fuerit: quis non videt, quanto in periculo Res communis summa versetur? Cum in viros bonos non evadant, qui adolescentiæ florem vitiorum de honestamentis fregerunt. *ad eò à teneris adsuescere multum: ut poëta canit. Quis igitur cū Imperat. Justiniano in S. 6 l. d. Attil. tut. non dicat, juri naturali conveniens esse, ut qui perfectæ ætatis non sunt, aliorum tutelâ regantur? quis non fateatur, vel maximè interesse Reip. ut bonorum consilio & fide, adolescentia in virtutum studio sic confirmetur, quò virilis deinde ætas, aut nullo prorsus modo aut difficulter ab honestatis via regia declinet? Quis doctrinam eam, quæ tutorû curatorumq; describit officium, non dicat maximè esse necessariam? Cum autè in tutorum & curatorû officio non peccetur rarò vel negligentia vel dolo: sæpè etiâ fidis tutoribus & curatoribus non præstentur, quæ ipsis præstanda sunt: indè fit ut tutelarum quoque &**

A 2 cura-



181
curationum causæ in foro tribunalibusq; sint admodum frequentes. Ad quas lites decidendas cum inepti sint illi, qui jus, quod ad tutelæ & curationis officium pertinet, ignorant: idcirco operæ pretium nos facturos rati sumus: si frequentissima hujus utilissimaq; materiæ summa capita, brevitatis tamen habitâ ratione, peruestigantes, eadem publicæ disquisitioni subijceremus.

T H E S I S

I.

ANtequam definitionem ipsam tutelæ aggrediamur, rem non inutilem facturi nobis videmur, si nominis notationem prius excusserimus: quâ excussâ res clarius innotescet; maximè cum nemo benè res intelligat, nisi prius verba cognoverit. Siquidem verba (teste Platone in Cratylo) sunt instrumenta, quibus res significantur, vel (ut Imper. noster Iustinianus in S. 29. I. d. legat. ait) significandi gratiâ reperta sunt; voluntatemq; dicentis demonstrant, l. 7. S. 2. ff. d. suppell. legat. à quorû notitia demum in rei perceptionem sæpè pervenimus, Scaliger exerc. 1. sect. 1.

2. Tutelæ ergò vocabulum à tuendo dictum est. Tutores enim quasi tuitores appellantur, l. 1. S. 1. ff. d. tutel. l. 1. ff. d. min. S. 2. I. d. tutel. Indè quoque, in l. 2. pr. ff. qui per. tut. l. 2. C. quando mul. tut. offic. fung. simpliciter defensores dicuntur, ut testatur Nobil. Dn. D. Georgius Obrechtus, in d. disput. d. patroc. pupill. th. 14. quos jus nō vult esse tollitores non fures l. 33. ff. d. furt. l. 7. S. 3. ff. pro empt.

3. Definitur autem tutela vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se ipse defendere nequit jure civili data ac permessa, l. 1. in pr. ff. d. tutel. S. 1. I. d. tutel.

4. In hac definitione explicanda Dd. nimium sese macerant I. Sunt enim nonnulli, qui loco generis nimirum VIS, substituendum esse putant JUS; id quod minimè necessarium est: nec lectio Pandectarum Florentinorum; nec sequens vocabulum, potestas, admittit.

5. II. Potestatis verbum alit ambiguitatem, Nam interdum sumi-

sumitur pro potestate dominica; aliquando pro patria potestate; interdum etiam pro imperio magistratui competente, l. 215. ff. d. V. S. ubi Gedd.

6. Illarum autem significationum nullam hinc admittimus, sed eam, quã defensionis & gubernationis potestas intelligitur, approbamus, per S. 4. l. qui test. tut. dar. pass. l. 14. ff. d. test. tut. l. 27. ff. d. adm. & peric. tut. l. 157. in pr. ff. d. R. I. l. 56. S. pen. ff. d. furt.

7. Nec desunt, qui verba illa, In capite libero, ut plurimum exagitant, asserentes, ea ad tutorem esse referenda: nos vero ad pupillum ea non incommodè referri posse autumamus.

8. Dicitur demum in definitione; Jure civili data ac permiffa: quibus innuitur, eam juri civili potius, quam juri Gent. adscribendam, Treutl. volum. 2. select. disput. 8. th. 1. lit. e. Harpr. ad S. impubes 6. l. d. Attil. tut. Nec est ut illa verba tanquam supervacanea ex agro hujus definitionis exterminemus.

9. Positã definitione tutelæ, consequens erit, ut ad ejusdem divisionem nunc progrediamur.

10. Dispersitur autem in tres species: In testamentariam, legitimam, & dativam:

11. Testamentaria est, quã permissum parentibus liberis suis impuberibus, quos in potestate habet, tutores dare S. 3. l. d. tut. l. 1. ff. d. test. tut. iisque tam nascituris, quam jam natis S. penult. l. d. tut. l. 1. S. 1. & 2. ff. d. test. tut.

12. Hinc mater liberis suis tutores dare non potest, per textum in l. 1. S. 1. & l. 2. ff. d. confirm. tut. S. 3. l. d. hered. qual. & diff. l. 1. d. confirm. tut. quia eos non habet in sua potestate, d. S. 3. l. d. hered. qual. & diff. & S. 10. l. d. adopt.

13. Conceditur tamen ipsi propter maternæ pietatis præsumptionem, tutorem destinare, auth. matri & avia. C. quando mul. tut. off. fung. potest. verum necesse est, ut eos simul heredes instituat, l. 4. ff. d. test. tut. l. mater 4. C. eod. l. peto. 69. S. 2. ff. d. legat. 2. Sic enim amorem suum erga liberos satis testatum reddit. Talis autem tutor confirmandus erit cum inquisitione, l. 1. S. fin. l. 2. ff. d. confirm. tut. l. 1. C. eod. tit.

14. Hoc in loco acerrimè conflictari solet inter Dd. An tutor ita confirmatus sit testamentarius, an verò dativus? Utrūq;

A 3 non



non malè dici posse remur, ut tradit Gedd. ad l. 130. ff. d. V. S.

15. Uterius hîc indagare placet: Num tutor exheredato filio à patre datus, ipso jure tutor sit, an vero confirmatione magistratus egeat? Prius A. si videlicet testamētum sit perfectū: §. fin. I. d. tut. l. 4. l. 10. §. 2. l. 26. in fin. & l. 31. ff. d. test. tut.

16. Patronus quoque ut & quivis extraneus à tutoris datione prohibetur, nisi confirmatio prætoris accesserit, l. qui tutelam 28. §. 2. ff. d. test. tut. l. 4. ff. d. confirm. tut.

17. Si quis filiis dederit tutorem, controversi solet: utrum etiam nepotibus dedisse intelligatur? Negantium calculo subscribendum esse censemus, freti textu, §. ult. I. qui test. tut. dar. poss. & l. 5. & 6. ff. de test. tut. l. 220. pr. ff. d. V. S.

18. Porrò, possunt tutores dari, quicumq; vel naturâ vellege prohibiti non inveniuntur.

19. I. Naturâ prohibentur, Impuberes, minores, furiosi & mente capti. Natura enim iis id de negavit, cujus gratiâ tutela constituitur: undè ipsi defensione aliorum indigent, l. ult. C. d. legit. tut. §. 2. I. qui test. tut. dar. possunt l. 11. ff. d. tutel. l. 10. §. si furiosus. 3. ff. de test. tut. l. 40. ff. d. R. I.

20. Ubi tamen aliud dicendum, si furiosus compos mentis, & minor major 25. annis factus fuerit, §. 2. I. qui test. tut. dar. poss. l. furiosus 11. ff. d. tut. l. quæro 32. §. ult. ff. de test. tut. quia cessante causâ prohibitionis, cessabit & ipsa prohibitio, c. cum cessante exr. d. appellat.

21. II. Lege prohibentur: Prodigii: qui furiosis æquiparantur, l. 40. ff. d. R. I. Quemadmodum enim illis sana mens, ita his sani mores desunt. l. 1. in pr. ff. d. curat. fur. unde quoque quo ad bona furiosum exitum facere dicuntur, l. 12. §. 2. in fin. ff. d. tut. & curat. dat.

22. III. Arcentur quoque ab hoc munere muti & surdi: hîc namq;, quia audire, illi, quia loqui nequeunt, auctoritatem pupillo præstare non possunt, l. 1. §. ult. ff. d. tutel. l. pen. in fin. ff. de legit. tutor.

23. IV. Cæci: l. un. C. qui morb. l. 3. C. qui dar. tut. præsertim cum ipsos propter cætitatem multa latere possint, ut non facilè intelligant, quâ mente & fide quid geratur, eoq; quid in eo probare aut improbare debeant, l. 3. ff. qui dar. tut. poss.

Mu-

24. V. Mulieres: quia alienam suscipere defensionem virile est officium, & ultra sexum muliebrem, l. 18. C. d. procur. & quia tutela est officium virile, l. ult. ff. d. tut. l. 1. C. quando mul. tutel. off. fung.

25. Hodiè tamen matri & avia, cum nullus est tutor testamē. tarius, tutelā, si velint, gerere conceditur per Nov. 118 c. 5. si modo SCt. Vellejano renuncient, auth. matri & avia C. quando mul. tut. off. fung. & secundis votis, ob rationem l. 22. C. d. admitt. tut. aliisq; ll. auxiliis Nov. 94. c. 2. l. 3. in fin. C. quando mul. tut. offic. fung. potest.

26. VI. Servi: l. in servili. 7. C. qui dar. tut. vel cur. poss. l. si quis tutorē 22. ff. d. test. tut. Nam tutela est juris civilis, l. 7. C. qui dar. tut. Jure autem civivili servi pro nullis habentur, l. qui testamento 20. S. 7. ff. qui test. fac. poss. l. quod attinet 32. ff. d. R. I.

27. Possunt tamen testamento tutores dari, l. 28. S. 1. & l. 32. ff. d. test. tut. & S. 1. l. qui test. tut. dar. poss. vel libertatis mentione factā vel sine eadem S. 1. l. d. t.

28. Indè non adeò levis emergit quæstio illa; An servi sine libertate tutores dati, ex tacita testatoris voluntate libertatem directam, an vero fidei commissariam consequantur? Prius verius agnoscimus, per textum d. S. 1. d. t.

29. VII. Removentur milites: ut patet ex. l. 4. C. qui dar. tut. l. militem 7. C. d. procurat. Cum maximè inconveniens sit, contraq; publicam utilitatem milites privato aliquo negotio ab operis militiæ, Reipubl. præstandis abduci, l. 31. C. d. locat. & cond. d. l. 7. C. d. procurat. l. 8. C. d. legat.

30. VIII. Creditores & debitores pupilli: Licet enim olim potuerint, l. neq; 7. C. d. excusat. tut. & curat. l. creditorem 8. C. qui dare tut. vel curat. poss. l. 5. S. 4. l. 9. S. 1. & 2. ff. d. adm. & peric. tut. Illud tamen ab Imperatore nostro postmodum mutatum esse, patet ex Nov. 72. c. 1. 2. 3. & 4. auth. minoris debitor. C. qui dar. tut. vel curat. poss.

31. IX. Personæ turpes & infames: l. 17. S. 1. ff. d. test. tut. ut ban-nitus, Gail. 2. observ. 86. n. 19. Quia indignum est eos pupillo præfici, à quibus non informari, sed depravari potest.

32. X. Prohibentur deniq; Clerici; per textum in l. 52 pr. C. d. Episc. & Cler. expressum & Nov. 123. c. 5. quia se secularibus negotiis immiscere non debent: c. ult. dist. 88.

Mo



33. Movetur hinc controversia; Utrum Judæus etiam Christiani tutor esse queat? N.

34. Qui in testamento tutores dantur, possunt dari ad diem, ex die, & sub conditione; non vero legitimi & dativi, S. 3. I. quibus test. tut. dar. poss. l. 8. S. 2 ff. d. test. tut.

35. Et hæc de testamentaria tutela: quâ cessante, succedit legitima l. 9. S. 1. ff. d. tut. & rat. distrab. & quamdiu testamentaria speratur, tam diu locus non est tutelæ legitimæ l. 11. pr. ff. d. test. tut. quæ ex l. 12. tab. descendit, ut apparet ex pr. l. d. legit. agn. tut.

36. Hujus tutelæ quatuor sunt species.

37. I. Est Agnatorum; ut patet ex Rubr. & pr. l. d. legit. agn. tut. quæ tamen non ad omnes agnatos simul pertinet, sed ad eos, qui propiore sunt gradu S. quod autem dictum 6. l. d. capit. deminur. l. si plures 9. ff. d. legit. tutor.

38. Quid si eorum plures sint gradu eodem, anne omnes ad tutelam vocandi? A. per S. ult. l. d. capit. demin. l. 9. ff. d. legit. tutor. administratio tamē uni ex illis maximè idoneo, periculo omnium & bonis omnium pupillo tacitè obligatis, committenda est Nov. 118. c. 5. ne tutela per plures sparsa negligentius administretur l. 3. S. 6. ff. d. admin. & peric. tut.

39. Mulieres etsi regulariter à tutelæ officio, cum virile sit munus, ut supra thesi 24. dictum, arceantur, de matre tamen & avia, cum ad tutelam admittantur, incidenter quærere lubet; Anne illæ agnatis & cognatis reliquis, solis testamentariis tutoribus eas præcedentibus, præferentur? A.

40. II. Est patronorum: cum libertorum libertarumq; tutelam patroni vel eorum liberi administrant t. t. l. d. legit. patron. tut. l. 3. in pr. ff. d. legit. tutor.

41. III. Est Parentum: cum parentes liberorum suorum, quos impuberes emancipârunt, tutelam gerunt, t. l. d. legit. parent. tut. l. 3. in fin. ff. de legit. tut.

42. IV. Et ultima legitimæ tutelæ species est ea, quæ Fiduciaria propriè dicitur. Quantūvis n. & parentum tutela dicatur fiduciaria, id tamen non fit unâ eademque ratione. Postquam enim parentum tutela legitima dici cæpit, contractius & angustius fiduciariæ nomen usurpari cæpit, per ea, quæ in tit. l. d. fiduc.

fiduc. tut. explicatur, ut Clarissimus D. praeses praceptor meus omni obser-
vantia cultu prosequendus in explicatione, ad tit. I. d. fiduc. tut. annotavit.

43. Sequitur nunc tertia & ultima tutelae species, quae Dativa dicitur, l. 52. C. d. Episc. & Cler. l. ult. C. d. legit. tut. l. 7. ff. rem pupil. salu. fore vocatur & honoraria: & tutores dativi Attiliani, Vlp. in t. 11. § 17. in fragment.

44. Haec verò species à magistratu defertur, eo scilicet magistratu, cui hoc à lege specialiter permillum est: atque ita haec tutelae datio non competit vi Imperij, neque vi Jurisdictionis, sed ei tantum competit, cui specialiter à lege confertur l. tuto 6. §. 2. ff. d. tutel. pr. I. d. Attil. tut.

45. Generali tamen Germaniae consuetudine omnes ferè magistratus municipales majores & iudices civitatum tutores dare solent, recensente Nobil. Consultissimoq; Dn. D. Obrecht ex Bart. & Schneid. in d. disp. th: 44. Et ita sancitum reperitur in reformatione guter Policcy zu Augspurg / Anno 1548. auffgerichtet tit. von der Pupillen vnd minderjârigen Kindern Tutorn vnd Vormûnder s. 1. & 2. Et in ordinatione Politia, Anno 1577. t. 32. §. Item daß er.

46. Dat verò Magistratus tutorem eum, qui suae jurisdictioni est subjectus, id est, in suo territorio §. 4. l. d. Attil. tut. l. 3. ff. d. tut. & curat. dat.

47. Quod si fortassis defint in civitate, ex qua pupillus oriundus, idonei tutores, tunc magistratus ex vicinis civitatibus idoneum eligere & praesidi provinciae transmittere debet, ut ipse provideat l. 24. ff. d. tut. & curat. dat. siquidem utilitas pupillorum semper est curanda, arg. l. utilitatem 10. ff. d. confirm. tut.

48. Sunt autem quidam, qui necessariò tutores petere coguntur, ut constat ex l. 2. §. 1. ff. qui pet. tut. l. 6. 9. & 10. C. eod. tit. quales sunt matres & liberti, quin imò, quicumq; pupillo sunt successuri, d. l. 2. §. 1. ff. qui pet. tut. d. l. 10. C. eod.

49. Et hoc intra annum fieri debet. §. pen. l. ad. ICt. Tertyll. l. 10. C. d. legit. hered. Dn. D. Obrechtus d. disput. th. 79. adeò ut non petentes idoneum tutorem à successione repellantur, d. l. 2. §. 1. ff. qui pet. tut. & d. §. pen. l. d. r. nisi sit minor l. 2. C. si ad vers. delict. teste Clarissimo & Consultissimo Dn. Kizelio in coll. repet. univers. jur. publ. disp. 3. th. 8. lit. 1.

50. Sunt quoque, à quibus tutores voluntariè petuntur, ut
B cognati



51
cognati, affines &c. d. l. 2. in pr. ff. qui per. tut. Imò in cujuslibet arbitrio id facere positum est, & sumptus in id impensos repetere potest, nisi fortè alius ex agnatis id fuisset gratis facturus, VVes. in paratit ff. qui per. tut. n. 2. Treutl. d. volum. 2. disp. 8. th. 4. lit. d.

51. Super est, ut nunc etiam dicamus, quomodo constituta tutela à tutore rectè & legitimè suscipiatur.

52. Suscipitur autem à tutore non, nisi sit ipsi administratio à magistratu decreta l. 3. ff. d. admin. & peric. tut. l. naturali 7. §. 1. in fin. ff. d. confirm. tut. l. cui eorum 3. in pr. ff. d. postul. In Reichsabschieden d. tit. §. das auch ein jeglicher. Myns. ad pr. l. d. legit. agnat. tut. n. 8. & 9. Treutl. d. disput. 8. vol. 2. th. 5. lit. c.

53. Ad hunc modum delatam tutelam quisque etiam invitatus suscipere cogitur, adeò ut tutela etiam non statim agnita ex die, quo datus est, ejus periculo sit. l. 1. in pr. & §. 1. l. 20. §. 3. & 6. ff. d. adm. tut.

54. Tutela n. quamvis Reipub. munus non sit, respectu tamen causæ efficientis & ratione necessitatis, qua publicè auctoritate imponitur, est munus publicum, pr. l. d. excus. tut. l. 1. ff. d. muner. & hon. l. 6. §. 15. ff. d. excusat.

55. Tutoris autem officium partim in persona pupilli gubernanda §. 4. l. qui test. tut. dar. poss. partim in negotiorum pupillarium, quæ ipse tutor gerit, administratione, consistit.

56. Administrationem enim differre ab auctoritate arg. sunt diversa tum ff. tum in C. Rubrica: & quod auctoritas præstanda consistit in iis negotiis, quæ à pupillo geruntur, ut colligitur ex rubricis l. ff. & C. de materia tutelari; Clarissimus Dn. præses in pr. ad tit. l. d. auth. tut.

57. Definitor auctoritas, quod sit expressa tutoris approbatio perfectò interposita negotio eo, quod pupillus præsentè tutore gessit.

58. Ideoque nec ante, nec post, sed statim ad perfectionem negotii requiritur l. 31. ff. d. usucap. l. 9. §. tutor. 5. ff. d. autor. & consens. tut. §. tutor autem 2. l. eod. l. 7. §. 1. ff. d. rescind. vendit. præcipuè cum auctoritas sit pars solennitatis, l. 13. §. fin. ff. d. pub. act.

59. Quæ tamè non in omnibus negotiis est necessaria pupillo, ijs nimirum ubi conditionem suam fecerit meliorem, in pr. l. d.

I. d. aurb. tut. l. 1. & 9. C. eod. l. 2. ff. de acceptit. l. 13. §. 29. ff. d. action. emp. l. 7. §. 1. ff. d. rescind. vendit.

60. Est verò tum demum necessaria, ubi ejus conditio fieri potest deterior, *pr. I. d. aurb. tut. l. 5. & l. 189. ff. d. R. I.*

61. Controverti solet; An pupillus hereditatem auctoritate tutoris non interveniente adire possit? Id quod inficias imus: quantumvis lucrosa sit, *l. 9. §. 3. ff. d. aurb. tut.*

62. De eo quoque magnus est Dd. conflictus: Num pupillus sine tutoris auctoritate contrahens naturaliter obligetur? In qua quæstione putamus distinguendum esse inter duplicem naturalem obligationem: alteram ex qua datur actio, *l. 10. ff. d. O. & A. l. 16. §. 4. ff. d. fidejuss. & mandat. qualis est, cum pupillus locupletior est factus l. 5. princ. ff. d. aurb. & cons. tut. alteram, ex qua non datur actio l. 127. ff. d. V. O. sed est tantum soluti retentio d. l. 16. §. 4. ff. d. fidejuss. & mandator. l. 10. ff. d. O. & A. quâ obligatur pupillus etiam non locupletior factus. l. 25. §. 1. ff. quando dies legat. ut testatur Clariss. Dn. præses in disp. d. mutuo. th. 26. lit. 6.*

63. Dicendum nunc restat, de modis tollendæ tutelæ: quorum primus est pubertas, *per princ. I. quibus mod. tut. fin. l. 1. §. ult. C. quando tut. vel. curat. esse desin. l. 4. ff. d. tut. & rat. distrab. quæ in masculis post 14. in fœmellis verò post 12. ætatis annum completû spectatur, in d. pr. I. d. t. l. fin. C. quando tut. vel curat. esse. des. l. 4. in pr. ff. de tut. & rat. distrab.*

64. In Electoris tamen filio illud non procedit: Etenim specialiter cautum est sanctione aureæ bullæ Caroli IV. §. inter sollicitudines tit. 7. d. success. princip. ut sub tutela maneat, donec annum 18. impleverit: quæ ætas plena pubertas dicitur, *in §. 4. l. d. adopt.*

65. Secundus finiendæ tutelæ modus est arrogatio impuberis pupilli tanquam minima capitis deminutio, quam pupillus patitur, §. 1. & §. 4. I. quibus mod. tut. finiat. l. 14. in pr. ff. d. tutel. l. 2. ff. d. legit. tuto.

66. Solet hîc in controversiam vocari; An minimâ capitis deminutione tutoris tollatur legitima tutela? Afferimus.

67. III. Tollitur quoque morte vel tutoris vel pupilli, §. 3. I. d. t. mors enim omnia solvit, *Nov. 22. c. 20. l. nisi finita 4. pr. ff. d. tut. & ration. distrab.*

B 2 Ex



68. IV. Extinguitur tutela de portatione, §. 1. l. h. t. l. 14. in pr. ff. & tutel. l. 15. ff. eod. Nam deportati sæpè mortuorū loco habentur l. 1. §. 8. ff. d. bon. poss. contra tab.

69. V. Finitur captivitate vel tutoris vel pupilli, l. 14. §. 2. & seq. ff. d. tut. §. 1. ff. h. t. l. 60. in pr. ff. d. rit. nuptiarum.

70. Qui enim hostium potitur, is fit servus hostium §. 4. l. d. jur. person. §. 17. l. d. R. D. Tutela autem est vis ac potestas in capite libero §. 1. l. d. tutel. l. 1. in pr. ff. d. tutel. Is verò, qui in servitutem redactus est, non amplius liberum caput est: non potest igitur esse in tutela: non potest etiam gerere tutelam: cum enim in vi ac potestate hostium sit, vim ac potestatem nullam habere potest.

71. Quæstionis est: An, si pupillus fuerit captus, bonis ejus curator detur? Ita ajunt quidam per l. 15. inf. pr. ff. ex quib. caus. major. quod tamen, an eâ lege satis probetur, non videmus, maxime cum periculum tutelæ adhuc ad tutorem pertineat.

72. Tutore vero capto, stricto jure tutela finitur: propter spem tamen postliminij alius in ejus locum interim datur.

73. In dubium vocatur, utrum transfuga maneat tutor? Affirmanti Ulpiano ad stipulamur.

74. VI. Finitur tutela conditionis & temporis eventu, §. sed et si 2. l. h. t. l. 14. §. ult. ff. d. tut. l. 8. §. 1. & 2. ff. d. test. tut.

75. Unde apparet, tutoris dationem, quæ fit testamento non esse actum legitimum: cum aliàs tutoris datio sit actus legitimus, l. 77 ff. d. R. I.

76. VII. Tollitur excusatione jure constitutâ l. 1. ff. C. & I. d. excusat. tut. qui enim jure datus non est, ne fit quidem tutor, atq; adeò excusatione non indiget, §. 13. l. d. excusat. tut. l. 13. §. ult. in fin. ff. eod. tit.

77. Excusatio autem debet esse justa & æquitate suâ niti l. 1. ff. d. vacat. & excusat. mun. aliàs vix unquam reperientur idonei, d. l. 1. ff. d. t.

78. Non minus ferram contentionis in eo trahunt Dd. Num tutores legitimi se excusare queant? A.

79. VIII. Perit remotione à tutela, quæ fit per suspecti accusationem, si nimirum fraudulentè vel negligentè in rebus pupilli

pupilli versentur, vel aliàs incommodo & damno esse pupillo convincantur §. *suspectus* 5. l. d. *suspect. tut. r. r.* ff. & C. d. *suspect. tut.* usque adeò, ut quamvis satisfactionem offerant, bona pupilli deinceps bonâ fide à se administratū iri, nihilominus tamen removeantur. Satisfactio enim non mutat malevolum tutoris propositum, sed diutius grassandi in re facultatem præstat, §. *novissimè fin.* l. d. *suspect. tut.*

80. Hic disquirere lubet: Utrum tutor ut suspectus oblevem culpam à tutela removeri queat? N.

81. Cum suspectus remotus ob dolum infamiâ notetur, ob culpam non æquè §. *suspectus* 6. l. d. *suspect. tut.* l. 3. §. ult. & l. 4. ff. eod. l. 1. & ult. C. eod. quæritur: An ob latam culpam æquè atque ob dolum remotum infamia comitetur? Negativam tueri enitemur.

82. Pertractatâ hætenus tutelâ: cum proxima & cognata sit illi curæ materia, eâ, quâ fieri potest, brevitate, de illa quoque pauca quædam adijcere placet.

83. Est autem cura vis ac potestas administrandi bona ejus, qui ipse per ætatem, furorem, dementiam, prodigalitatem, morbum perpetuum, rebus suis super esse nequit à magistratu data, l. 1. in pr. ff. d. *curat. fur.* l. 6. §. 4. in fin. ff. d. *tutel.* l. 20. ff. d. *rit. nups.* pr. & §. 4. l. d. *curat.* l. 12. in pr. ff. d. *tutor. vel cur. dat.* l. 2. ff. d. *curat. furios.*

84. Cura dicitur à curando, ut tutela à tuendo, l. 3. ff. d. *tutel.* l. ult. ff. d. *muner. & honor.* eodem quoque sensu dicitur curatio, l. 1. l. 4. l. 13 ff. d. *curat. furios.*

85. Definitur eodem ferè modo, quo tutela, vis ac potestas in capite libero sc. eo qui curatore opus habet, in pr. l. d. *curat.* l. 1. §. 3. l. 2. & 3. in pr. ff. d. *minor. 25. annis:* idque propter ætatis infirmitatem l. 1. C. *quando tutor. vel curator. esse desin.* vel causam aliam.

86. In eo tamen maxima est differentia inter tutelam & curam, quæ hîc in definitione exprimitur, quod bonis dentur curatores *oppositos: delegatos* verò personis minorum; quod Imperat. etiam innuere videtur in d. pr. l. h. t.

87. Cum itaque puberibus quoque curator dari soleat quia ejus adhuc sint ætatis, ut sua negotia tueri non possint à. pr. dif-

B 3 quiri



987
quiritur: An minor curatorem habens etiam obligetur ex suo contractu sine tutoris consensu habito? A

88. Nodosę quæstionis est: Num prodigus quoq; obligetur? Nos hîc eodem modo, quo supra in pupillo distinguendum esse censemus.

89. Cum prodigus bona sua nequitiâ dispergat & neque tempus, neque finem habeat expensarum, sed omnia dilacerando & dilapidando profundat *l. 1. pr. & l. 15. ff. d. curat. fur.* Idcirco ipsi rectè bonis interdicitur, *l. 10. ff. d. t.* Verum utrum hoc ipso jure fiat, an vero opus sit interdictione & declaratione magistratus, acerrimè disceptatur? Posterius ut defendamus nervos intendemus.

90. Curatores testamento non jure dantur, sed à magistratu: præsertim cum lex 12. tab. de tutela saltem, non etiam de cura loquatur, & jus legitimum tutorem noverit, non curatorem, *ut apparet ex l. 120. ff. d. V. S.*

91. Dati tamen confirmandi sunt à magistratu §. 1. *l. d. curat. l. 1. §. ult. ff. d. confirm. tut. à patre dati sine inquisitione l. 6. ff. d. t. l. 2. C. eod. l. 16. in pr. ff. d. curat. fur. à matre autem cum inquisitione l. 2. ff. d. confirm. tut.*

92. Neque tamen ex eo sequitur, quod curator testamento datus sit testamentarius: quia curatoris datio nihilominus manet prætoris vel præsidis, *l. 16. in pr. ff. de curat. fur.*

93. Tam curator quam tutor, antequam munus subeant I. Inventarium conficere tenentur, *l. 7. in pr. ff. d. admin. & peric. tut. l. 24. C. eod. l. ult. §. 1. C. arbitr. tut.*

94. II. Pupillis & minoribus juramento cavebunt, quo sanctè pollicentur, se omnia benè acturos, hoc est, se non prætermissores utilia, & non facturos inutilia *Nov. 27. c. fin. Ordinat. Politia Anno 1577. §. Item das er vers. auch mit Beliebten vund Eyden beladen werde.*

95. III. Illis quoque satisdare coguntur tutores & curatores, rem pupilli, cujusvè curam suscipiunt, salvam fore, *in pr. l. d. satisdat. tut vel curat. t. t. ff. rem pupil. vel. adolesc. salv. for. §. 3. l. d. Attil. tut. l. 3. 4. C. d. tut. qui sat. non deb. l. 6. §. 1. ff. d. tutel.*

96. Fit autem satis datio ista non rebus, sed reis, non prædiis,

190
diis, sed prædibus, hoc est, datis fidejussoribus, in pr. & § 4. l. d. satisfactionib l. 1. §. 9. ff. d. collat. l. 1. ff. qui satisfac. cog. l. 3. C. d. V. & R. §. l. 5. §. 2. 3. ff. d. V. O. Clariss. Dn. Præses ad pr. l. d. satisfac. tutor. vel curator.

97. Quia nusquam ubi hujus satisfactionis mentio fit, quicquam de pignoribus habetur, sed semper de fidejussoribus agitur, ut constat ex l. 4. §. 1. 2. 3. & 4. l. 8. & passim in t. t. ff. rem. pupil. vel adolesc. salv. for. Et quia est prætoria Cautio: l. 1. §. 2. ff. de prat. stip. & t. t. ff. rem pup. vel. adol. salv. fore. quæ personas pro se intervenientium desiderat, neque fit pignore, l. 7. ff. de prat. stip. Et quia tutorum curatorumque bona tacite sunt obligata, l. 20. C. de admin. tutor.

98. Corollarij loco I. apponamus lubricam illam satisque intricatam quæstionem: An nimirum ei, qui ad tutelam vel curam vocatur, appellare sit licitum? Affirmativam propugnare conabimur.

99. II. An cognitio de suspectis tutoribus, eorumque remotio competat vi juris dictionis? A.

100. III. Utrum suspecti postulatio rectè dicatur alia civilis, alia criminalis? N. Sed saltem criminalem agnoscimus. Ratio hæc est. Quia cum civilis actio opponitur criminali, tum civilis actio semper significat actionem pecuniariam, qua actor principaliter persequitur id, quod patrimonio accedit. Jam verò suspecti postulatione nemo principaliter pecuniam suam persequitur, sed id tantum agit, ut tutor removeatur: ut norat. in prælect. ad §. ult. l. d. suspect. tut. vel curator. Consultissimus Dn. præses.



VIRTUTE ET ERUDITIONE ORNATIS
SIMO DN. JOHANNI-PHILIPPO MENDELIO
commensali suo suavissimo.

EST aliquid, fateor, facundo pectoris ore
Efferre sensus intimos;
Nec minor ars artes sapientum posse tueri
Quod laude præstas optimâ

Verùm

Verùm majus opus Themidos lustrare recessus
 Vbiq; gentium sacros.
 Qui quanto major labor est, tanto tibi majus
 Inde affluet semper decus.
 Perge: Eris haud juris pars infima Consultorum
 Ac premium dignum feres.

M. Georgius Mejerus Duder-
 stadiensis Saxo.

A L I U D.

S Edulus Aonidum cum sudes MENDEL in agris,
 Ingenium cupiens excoluisse tuum:
 Cumq; tibi nitidi veneranda scientia Iuris
 Sit cordi, Astrea te juvet arva sequi:
 Candidus est, omni dandus tibi jure lapillus,
 Quod ratione bonis hacce placere cupis.
 Hoc quoq; MEIERO DOCTORI, nomine charus
 Existas, claro, non sine laude viro:
 Praesidis auxilio tanti tu dumq; favore
 Nixus, juridicè disseruisse velis:
 Gratulor ex animo: votis ardentibus optans
 Vt faustis avibus perficere ista queas:
 In votisq; gero, calido ut complectar amore
 MEIERI, is factor permaneatq; meus.

Paulus Gnilius Silesius
 Bicin:deproperabat.



Strapberg, Dr. ss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



1017







B.I.G.

Farbkarte #13



183.

A T I O
 ET CURA.
 1613, 7.
 inuente
 dio
 CONSUL-
 RI Dn. JUSTI
 N ACADEMIA
 Pandectarum ce-
 promotoris sui
 iæ cultu
 li:
 gratiã
 aminandam
 MENDELIUS
 is cis Montana
 tio
 ATI,
 CAROLI,
 l.

